



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 51. Aurelia a Condæo Principe capta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

§. LI.

Aurelia a Condæo Principe capta.

Thuan. l. 29.
Belcar. l. 29.

Cum ergo Condæus Princeps Regem sub potenti Catholicorum præsidio tutum Parisiis commorari perciperet, suam factionem certæ ruinæ proximam credebat, nisi clandestina, quæ cum Aurelianensibus fovebat, consilia ipsi præsentaneum suppeditarent auxilium, cujus beneficio mox urbem capere posset: ergo paulatim quosdam partim Mercatorum, partium rusticorum vestes indutos in urbem immittit, quo etiam Andelotus cum exigua militum manu irrepserat: Protestantes vero e latetris erumpentes mox huc, illucque discurrere, ac per domos suos cœtus agere cæperant, ac Sancti Joannis porta tandem occupata, illam suorum trecentis muniebant. Sub idem quoque tempus Monterudius, qui absente Principe de Rupe ad Yonem Præfecti vices agebat, confestim illuc accurrebat, irritum tamen conatu; quippe Andelotus, qui hucusque latuerat, prodibat, & Calvinistarum molimina tuebatur: Condæum vero Principem, ne pariter advolaret, sed Angervillæ adhuc subsisteret, remorabantur crebri Nuntii a Regina submissi, per quos illum hortabatur, ne in tam funesta rerum vicissitudine ipsam, Regem-

Regemque derelinqueret: verum Princeps ab Andeloto persuasus protinus unacum plusquam duobus equitum milibus advenit, urbemque Aurelianensem ingressus est; quapropter Montem ruidius sese recipere cogebatur, obtenta prius a Rege discedendi venia. Hæc gesta fuere die secunda Aprilis.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

§. LII.

Condæus Princeps bellum a se motum vindicare conatus.

Sub idem tempus Condæus Princeps die septima ejusdem Mensis literas dabat ad omnes Protestantium Ecclesias per universum regnum sparsas, quarum numerus tum ad duo millia ac quingentas ascendebat, prout ipsemet Castillonæus maris Præfectus Reginae nuntiaverat: ab his igitur sectariis Condæus non modo militum, sed & pecuniarum suppetias petebat, necnon quosdam ex suis Nobilibus ablegabat, qui, quiquid virium esset, ad se conducerent: ad hæc accesserunt quoque Ministrorum literæ ex Aurelianensi urbe ad omnes Provincias emissæ. Altera die, seu octava hujus Mensis Princeps scriptum quoddam evulgabat, quo captæ Aureliæ iniquitatem, rebellionemque excusare nitebatur, simulque prolixius, quibus rationibus permotus arma contra

Thuan. l. 5.